

patre Titi Gracchi, & conditam & dedicatam, cuius atrium ab Hælio Pæto, & Gornelio Cethago fuit refectum, & ampliatum, quod verò à Suetonio tradit in Augusto Afinium Pollionem atrium libertatis extruxisse, de alio atrio intelligendum esse existimat, idem Marlianus, propterea quòd multo tempore post fuit Afinius Pollio, cui opinioni assentiri videtur Liuius lib. v. Dec. v. vbi inquit, Hæc inter ipsos disceptata, postremò eò descensum est, vt ex quatuor vrbis tribubus, vnam palàm in atrio Libertatis fortirentur. Quæ omnia Marliani verba hic posuisse volui, propterea quòd & Lilius Giraldu noster, cui aliquando copiam eius Topographiæ Romæ feci, eo anno, quo impressa fuit, eadem penè dicat. Libertatis meminit & Cicero pro domo sua, ad pontifices, & Dion lib. xliij. histor. Libertatis indicium fuisse pileum, vnde & qui serui donabantur libertate, pileum gestabant capite raso, quòd & nos in enarrationibus nostris in Ius ciuile explicauimus, quo etiam loco posui emblemata nostri Alciati vbi in carmen redegit Nomisma à Brutis effictum, in quo signum erat tale, pileus duobus pugionibus impositus, quæ res primum est annotata à Politiano in Miscellaneis, vt à me aliàs in exercitationibus Iuris ciuilibus est annotatum. in Neruæ Cæsaris Augusti, Nomismate æreo, fuit in altera parte effigies ipsius Neruæ, cum his notis, Imp. Neruæ. CAESAR AVG. P. M. TR. PL. COS. II. PP. in auersa parte hæc erant verba, Libertas Publica S. C. & erat ibi imago Libertatis stantis in lacinia in dextra pileum, in læua hastam tenentis, & hæc quidem duo Nomismata ostendit mihi cum alijs multis aureis, argenteis, & æreis, vir cultus & elegans, & antiquitatis maximè studiosus M. Antonius è familia Maximorum Patauinus, cum quo intercessit mihi amicitia iucundissima, cum Alexander Balsianus, Patauinus, idem familiaris meus, antiquitatis obseruator summus, ad eius domum mecum contendisset. est Græcis (vt etiam hoc addam huic expositioni) *ἐλευθερία* Libertatis Dea, de qua Plautus in Stichis, & in Persa, Basilicè Eleutheria agito. Eleutheria festa erant Græca, quæ celebrabantur in honorem Iouis Eleutherij, quem & *σωτήρα* id est, liberatorem, vocabant. Celebrabantur hæc in Syracusijs Tarenti, apud Plateenses in Caria, in quibus nec heris in seruos, & magistratui in maleficos animaduertere licebat, vnde Eleutheria à libertate dicta, de porticu Eleutherij Iouis, qui Athenis fuit, meminit Plato in Theagenam. Constat tres fuisse Athenis celeberrimas porticus, porticum Iouis, Eleutherij, & alteram, quæ Basileos dicebatur, Tertiam quæ *ἀνακτίος* dicta fuit ob imaginum varietatem *ποικίλην*, id est, pæcile. Hanc porticum pinxit Polignotus Thasius, vt Plinius refert lib. xxxv.

cap. ix.